hanc Petri istius sacratissimam firmitatem Deo (vt diximus) ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id quod accepit à veteribus, non sequendo. Venerabilis quoque Beda super Matthæum ait. Quicunque ab vnitate fidei, vel societatis Petri apostoli se quomodolibet segregauerint, nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt ingredi regni cœlestis.

Rursus Nicolaus Papa vniuersali synodo præsidens statuit. 25. quæsti. 2. Siquis, Siquis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide, vel ecclesiastica disciplina, pro correptione imminentium, vel futurorum malorum à sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Neque in his, quæ placent solum, sed in eis etiam, quæ dura sunt, obtemperare oportet Romane sedi. Sicut ad Ioannem Rauennatẽ episcopum scribens beatus Grego. tradit. cap. distin. Contra morem. Contra morem (inquit) ecclesiasticum est si non patientissimè toleratur, quod à nobis absit, etiam iniusta correctio. Cui concordat illud ex capitulis Caroli imperatoris decimonono. distinctio. In memoriam. Licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.

Longum nimis pariter, & tædiosum foret omnes sanctorum patrum constitutiones, veritatem istam approbantes adducere. Manifestum satis, est & nemo dubitat nisi desipiat, quam detestabile sit tot canonum decreta ab vniuersali ecclesia acceptata, ac corpori iuris inserta per inobedientiam violare, quisquis talis est rebellis planè conuincitur, & blasphemus, teste Damasceno papa, qui ait. vigesimoquinto quæstio. prima violatores. Violatores canonum voluntarie, grauiter à sanctis patribus iudicantur, & à sancto spiritu, instinctu cuius, ac dono dictati sunt, damnantur. Quoniam blasphemare spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter vt præmissum est aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste vnum genus est blasphemantium spiritum sanctum, quoniam vt iam prælibatum est, contra eum agit, cuius nisu, & gratia canones editi sunt.

Nec mirum quod talia in nouo testamento, cuius non immeritò perfectior esse debet obedientia, sicut & gratia, statuit dominus, qui in veteri lege Deutero. decimoseptimo sub vltimi supplicii pœnis, summi sacerdotis iudicio obedire præcepit: Dathan quoque, & Abyron contemptores Moysi, quem populi sui ducem constituit, pœna prius inusa, & horribili condemnauit: Nume. decimo sexto. Verum tamen non in omni casu mandatum à se de apostolica primò emissum, statim ad sui executionem obligare intelligitur. Fert enim patienter in certis casibus se ap. si secunda iussio expectatur, dum tamen casum rationabilem, cur huiusmodi mandatum adimpleri non conuenit (puta si id præcipitur, quod sedi apostolicæ praua insinuatione suggestum, est, aut quod sine scandalo non quidem accepto, sed dato impleri non valet, aut aliud huiusmodi) is, cui mittitur apostolicę sedi per literas suas intimare curauerit. De quo in c. Si quãdo de rescrip. et c. Cum teneamur, de pręben. In quibus casibus non censetur paruipendere apostolicę sedis auctoritatem, nec menti papę mandatis per inobedientiam obsistere, qui secundum iuris formam, mandati executionem differt, secundam expectans iussionem. Si tamen purum habeat intentionis oculum, vt non in fraudem obedientiæ dilationem quęrat, sed vt apostolicę sedis certius mentem discat, paratus animo semper

In nouo test. perfectior esse debet obedientia.